

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm**

**Bonagrata <von Habsheim>**

**Friburgi Brisgoiae, 1665**

Praedicatores

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

## PRAEDICATORES.

374. Prædicatorum institutio. 375. Licentia Episcopalis. 376. Qualitates.

377. Prædicandi materia. 378. Modus.

379. Prædicari prohibita. 380. Transgressorum pœna.

374. **D**E Prædicatoribus Ordinum Regularium, SS. Trident. Synodus CCC. LXXIV. Prædicatorum Institutio.

sess. 5. c. 2. ita statuit: *Regulares cuiuscunque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, moribus & scientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesijs suorum Ordinum prædicare non possint: cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare & ab eis Benedictionem petere teneantur, antequàm prædicare incipiant. In Ecclesijs verd, quæ suorum Ordinum non sunt, vltra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesijs non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint, ipsam autem licentiã gratis Episcopi concedant.*

Ita Conc. Contrafacientes non ab Episcopo, sed à suis Superioribus Regularibus tantùm puniri posse, à S. Congr. decisum refert Quarant. in Summa Bullar. V. Privilegia Regular. Quod postmodum correxit Greg. 15. in Bulla: Inscrutabili. sub dat. 9: Febr. 16 22, cuius verba hæc sunt: *Ac demùm*

M m habeat

habeat Episcopus auctoritatem coercendi ac puniendi quosunque exemptos, tam Seculares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesijs, quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia in Ecclesijs suis, aut suorum Ordinum non petita illius Benedictione, aut ipso contradicente, predicare præsumserint, &c. De hac Constit. & Episcopali licentia consule dicta V. Confessarius. n. 104.

Eiusdem tenoris Prædicatores instituenti & prædicandi modum Seraph. Patriarcha S. Franciscus dudum antè præscripsit in Regula Minoritana. c. 9. his verbis: Fratres non predicent in Episcopatu alicuius Episcopi, eum ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus fratrum populo penitus audeat predicare, nisi a Generali Ministro huius fraternitatis fuerit examinatus & approbatus, & ab eo prædicationis officium sibi fuerit concessum, &c.

CCC-  
LXXV.  
Licentia  
Episcopalis.

375. Itaque Minoritis vniuersis, vbi eis fuerit prohibitum, tum ad seruandam pacem cum Episcopis, tum ad euitandum apud populum præsumptionis scandalum, si aliud præceptum non esset, ex Regula inhibetur. Si concedat Episcopus, contradicat autem Parochus, quanquàm iste peccet, melius tamen erit suafore S. Bonauentura in c. 9. Reg. ad euitandum scandalum à Prædicatione desistere,

376. Qua-

376. Quales oporteat esse promouendos ad hoc munus idem Seraph. Doctor egregiè explicat in Apolog. In eos qui Ord. FF. Minorum aduersantur. q. 4. quam inprimis consulere deberent, qui tales examinant.

377. Ipsos Prædicatores monet & exhortatur Seraph. P. S. Franciscus, vbi supra: vt in Prædicatione quam faciunt, sint examinata & casta eorum eloquia, ad vtilitatem &

edificationem populi, annuntiando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam, cum breuitate sermonis, &c. in hoc etiam omnind conformis Trident. l. c. vbi generatim vniuersos diuini Verbi Præcones adhortando: Prædicatores, ait, fideles pro sua capacitate pascant, salutaribus verbis dicendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiando eis sum-

mitate & facilitate sermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oportet, vt vitam æternam euadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. Et seif. 24. c. 4. de Reform.

quasi fontem, ex quo ad ea persuadenda rationes & argumenta sumi oporteat, indignans: sacram solummodò Scripturam, diuinamque legem in concisionibus annuntiandam & prædicandam esse dicit.

378. Quà discretione ac prudentiâ diuini hoc munus exerceri deceat, instruunt

CCC.  
LXXVI.  
Qualitas  
res.

CCC.  
LXXVII.  
Prædicatio  
de materia.

CCC.  
LXXVIII.  
Modus.

Mm 2

nostri

nostri Ordinis Statuta Generalia c. 9. dum inter alia salutaris instructionis documenta Prædicatores adhortatur, sermones vsurpare examinatos & castos vsque aded vt ad particulares personas, præsertim Religiosos, & cumprimis Ecclesiæ Prælatos nunquam descendant, & aliàs etiam sub obedientiæ præcepto inditum in Clem. Religiosi. §. Quibus de priu. & excess. priuul. Barbos. Ibid. Cuius declarationem vberioreni cuiuscunque statûs personis salubriter & sine offensa proponendi Verbum Dei libet huc transcribere ex antedicto Seraph. D. Apolog. q. 2. Doctör seu Prædicator, inquit, qui diuersi generis auditores debet instruere, vt virtutes magis reddat commendabiles, necessarias ad salutem, vitia his opposita, quàm sint nociua & detestabilia ostendit. Et quibusdam generibus hominum quadam vitia sunt magis vsitata, vt Mercatoribus fraus & mendacia, militibus rapina & incendia, & ita de alijs necesse est, quod propter generalem instructionem quodlibet genus hominum specialiter arguat & moneat sibi specialius insidiantia vitia cauere, sicut Medicus egros diuersis infirmitatibus laborantes docet à sibi magis noxiis cibis & alijs abstinere. Nihil enim prodesset infirmis, si diceret, cauere ab omnibus cibis noxiis generaliter, nisi specificaret in qualibet passione, quid illi specialius noxium esset, aut proficuum.

cum sanitati. Quod autem dicitur, quod Prædicator debeat in genere omnes arguere peccantes & non descendere ad species, hoc est intelligendum de notabili specificatione personarum, non vitiorum vel statuum, vel officiorum, quæ non possunt proprie describi sine expressione officij vel statûs illorum, qui in hoc specialiter offendere consueverunt. Potest enim sic congruè generaliter dici: Vos Artifices, peccatis frequenter in hoc, & vos Milites in hoc, & vos Religiosi in isto, vos Clerici in illo, & sic de alijs, si sunt ibi plures de quolibet genere illorum ad quos loquitur, siue nullus, ut quisque sibi conscius talis peccati compungatur, & in se confundatur, & nullus specialiter notabilis de hoc reddatur, quæ facti euidentiæ aliàs non facit notabilem, vel qui seipsum non prodit esse reum, sibi adscribendo specialiter cum murmure, quod generaliter dictum constat iuxta illud Poëta: Consciens ipse sibi, de se purat omnia dici. Correctioni enim & adificationi tantum debet intendere Doctor fidelis, non confusio vel infamatio alicuius presentis vel absentis. Vbiunque ergo præsumitur, quod aliquis specialiter de peccato prius incognito alijs ex prædicatione reddatur notabilis, vnde potest oriri grauamen vel scandalum, melius est tacere & alia adificatoria magis loqui. Qui vero facere consuevit contrarium, aut contentiosum, aut inuidum aut imprudentem se demonstrat.

M m 3

strat.

*erat, aut vana gloria cupidum, qui cum aliunde non esset acceptus apud homines, ex aliorum infamia gloriam sibi quarit. Quem confundendo exasperas, hunc tardius adificas, & rancoris aculeo vulneras. Hucusque Seraphico planè spiritu Seraph. D. Brevissimè, sed nervosè maximus Ecclesiæ Doctor S. Augustinus sententiam fert l. de bono persever. c. 22. Dolori vel imperiti Medici esse, etiam vitale medicamentum sic alligare, ut aut non profit, aut obfit. Legat Salutis animarum Zelosus Prædicator totum illud Capitulum à proposito non alienum.*

CCC-  
LXXIX.  
*Prædicari  
prohibita.*

379. Prædicator Regularis siue Sæcularis ex Conc. Lateran. 5. sub Leon. 10. ipso facto in tribus casibus à Prædicatione est suspensus. 1. Si prædicat Miracula falsa aut incerta. 2. Si prædicat Prophetias, quæ in S. Scriptura fundamentum non habent, aut à Sede Apostolica non sunt approbata, aut saltem ab Ordinario ad hoc trium aut quatuor virorum eruditorum examine adhibito, si tempus ad dictam Sedem accedere non permiserit. 3. Si prædicando de Episcopis vel de suis Prælatiis detrahat.

CCC-  
LXXX.  
*Transgressoriū  
pœna.*

380. Ex Trident. sess. 5. c. 2. de Reformatione sunt alij tres casus, in quibus Regularis ab Episcopo tanquam à Sedis Apostolicæ delegato suspendi potest, licet de facto non sit suspen-

suspenfus. 1. Si prædicat propositiones erroneas. 2. Si prædicat propositiones scandalosas. 3. Si prædicat propositiones hæreticas. Paulus 5. sub die 31. Aug. 1617. prohibuit, vt nullus in concione ad Populum, vel actibus publicis, hoc est, lectionibus, conclusionibus, disputationibus, teneat vel defendat opinionem D. Thomæ dicendo B. V. conceptam cum originali, idque propter scandalum fidelium. Ait tamen Pontifex, quod per hoc non intendit definire partem negantem: imo prohibet, ne in actibus publicis Prædicatores vel lectores dicant opinionem D. Thomæ esse peccaminosam vel hæreticam, sicut Sixtus 4. & Pius 5. decreuerant. Addit verò Paulus 5. atque iubet, quòd in publico opinionem D. Thomæ non impugnent, nec de illa aliquo modo agant siue tractent. Innotauit ea omnia sub finem anni præcedentis 1661. die 3. Dec. Alexander 7. Modernus Pont in Bullâ, quæ incipit: Sollicitudo omnium.

## PRAELATVS REGV. LARIS.

381. *Officiorum Regularium genera.*  
 382. *Prelatura quid sit? 383. Quotuplex in Ordine Minor.*  
 384. *Prelatorum dignitas.*

M m 4

385. De